

Admodum Illustri, ac Reverendissimo

D O M I N O

D. G A S P A R I

C E C C H I N E L L O

M O N T I S F A L I S C I V I C A R I O

D I G N I S S I M O .

Paulus Zacchias S.



Vemadmodum inter eos, quibus me plura debere sentio, non postremum habere te locum satis novi, ita neque eorum plerisque virtutis meritis secundum te esse, compertum habeo: ob illud me tibi arctæ servitutis vinculo obstrictum, ob hoc autem tui observantissimum in perpetuum debere me esse scito. Ut autem utriusque rei testimonium tibi darem, pauculas hæc pagellas tuo nomini inscripsi, quas si ob doni tenuitatem non spreveris, sed contra læto animo acceperis, humanitas tua mihi in plerisque notissima, magis magisque ex hoc elucescet. Vale.

LIBRI QVARTI
TITVLVS SECVNDVS,

De Virginitate, & Stupro.

S V M M A R I V M.

- 1 Virginitas quid sit, & num. 6.
- 2 Virginitas præsumitur adesse, & contrarium asserenti incumbit onus probandi.
- 3 Virginitas unde destruat, & num. 11. (abstinet.)
- 4 Virgo dicitur sœmina quando à viri conjunctione
- 5 Virgo dicitur virgo, etiam si per aliud instrumentum, aut per aliam viam, quam per viri conjunctionem corruptatur.
- 7 Certa virginitatis signa an dentur.
- 8 Hymen quid.
- 9 Hymenis signum certum, & infallibile.
- 10 Virginitas in Sacris probatur per pannorum sanguinolentiam in primo concubitu.
- 12 Virginitas deslorato probatur, si silius camisia tempore stupri fuerit repleta sanguine resperisa, vel linteamina, in quibus cum stupratore enbuit sanguinolenta.
- 13 Dantur certa notæ Virginitatis, & certa signa violationis. contrarium nu. seq. & nu. 24.
- 15 Signa, quibus probatur Virginitas fallacia sunt.
- 16 Hymen in omnibus non reperitur, sed in paucis.
- 17 Hymen est quid rarum, & difficulter reperibile.
- 18 Virginitatem esse corruptam per Viri conjunctionem, certo firmari non potest.
- 19 Hymen naturaliter non reperitur. (sieri.)
- 20 Sanguinis effusio in violatione Virginitatis potest non
- 21 Deuteronomii locus explanatus ex Augenio, & aliis.
- 22 Quotiescunque sanguis in primo concubitu effunditur facit testimonium Virginitatis contrarium. nu. seq.
- 24 Sanguinis effusio in coitu non attestatur Virginitatem. (gressu.)
- 25 Coherencia partium Viri non oblietatur unico con-
- 26 Sanguinis effusio in concubitu per fraudem simulari facile potest.
- 27 Corrupta potest in coitu sanguinem effundere.
- 28 Virgo potest deslorari, & concipere, & hymen non dirumpi.
- 29 Primus modus, quomodo hymen etiam, violata Virgine, integer remaneat.
- 30 Secundus modus.
- 31 Tertius modus.
- 32 Quartus modus pro cæteris notabilis.
- 33 Tota Virginitas nusquam datur.
- 34 Ethiopum aliquorum mos in custodienda puellarum Virginitate.

Virginitas proprie quid sit, & an ex certis signis cognosci possit.

QVÆSTIO I.



Quæmur in hoc titulo de sœminarum virginitate, atque illa quidem corporali, non mentali, seu materiali, non autem spirituali; cumque hæc ipsa virginitas materialis duplex sit, una, quæ simplicem pollutionem respicit, alia, quæ in-

tegritatem vaforum. Roderic. *Quæst. Canonie. Tom. 1. quæst. 63. art. 3.* de posteriori loquimur, non de priori; circa illam enim gravia multa occurrunt dubia, quæ ipsis Iureconsultis scitu sunt perquam necessaria; etenim in virginitatis violatione præcipue per vim facta gravissimum delictum consistit, quod quemadmodum frequentius patrat, quam oportet, ita in illud à Legibus debita severitate animadvertitur. Dubitant ergo ob id Iureconsulti, an Virgo aliqua deslorata sit, nec ne, & eam rem ad Medicos, ubi obstrictum iudicium tutum non sit, aut illæ sint inter se discordes, tanquam ejus rei peritos dijudicandam deferunt, ut notat ex nostris Vinc. Alfar. *de Quæst. per Episc. cent. 4. quæst. 44.* cum Iureconsultis ibi per eum adductis.

Multis insuper aliis ex causis, ut apud ipsos videre est, idipsum aliquando in dubium vertunt; quamobrem non absque occasione, aut frustra pro ipsis Iurisperitis assumpta à nobis provincia hujus tractatus de virginitate videatur, de qua primum consentaneum est scire, quid sit, & quia potest virginitas modo magis formaliter, nunc vero magis materialiter accipi, primo definiamus eam, prout magis formaliter accipitur, est autem qualitas quædam mulieris à Natura ex integritate muliebrium vaforum resultans, quamdiu à maris conjunctione illibata servantur. Quod enim sit qualitas quædam naturalis notum est, unde idcirco præsumitur à jure adesse, & contrarium asserenti incumbit onus probandi. Macchell. *patroc. 49. nu. 3.* Mascard. *de probat. conclus. 1410. num. 1. Tom. 3.* Guazzin. *in tract. ad def. Reor. def. 4. cap. 6.* August. Barbol. *in collect. Doct. lib. 5. tit. 16. cap. 1. num. 5. Tom. 2.* quod autem hæc qualitas resultet ex vaforum integritate palmæ est, quia per eorumdem vaforum manumissionem ex virili conjunctione virginitas destruitur, ut infra habetur. Dicitur autem quamdiu à maris conjunctione illibata servantur, quia etiam si vel ipsis manibus, vel alio quocunque instrumento claustra virginalia frangi, ac referari possint, ut notant ex Medicis Pareus, Codronchius, Roderic. *Caltr. lib. 4. Med. Pol. cap. 12.* & aliis locis infra adducendis, & ex Iureconsultis Guazzinus *ubi supra. num. 11.* tamen quamdiu à maris conjunctione ea illibata Virgo servabit tamdiu virginitatem ipsam incolentem, & incorruptam custodiet, si de virginitate sic accepta loquamur: neque enim minus Virgo dici potest, quæ virginalia claustra alio instrumento, quam virili dirupit, quam si pedem, aut manum dirupisset. D. August. *lib. 1. de Civit. Dei, cap. 18.* D. Thom. *2. 2. quæst. 152. art. 1.* ex quo notat Mascard. *ubi supra;* licet si id lascivius præstitisset, mentalem virginitatem illico absque dubio amisisset.

Porro virginitas, si magis materialiter sumatur, 6 nihil est aliud, quam naturalis constitutio, & coherencia vaforum muliebrium, quæ sic accepta potest facillime amitti: destructa enim vel manibus, vel alio quocunque instrumento naturali constitutione, & coherencia earum partium, illico destructa dicitur

cetur & ipsa virginitas; ac nobis profecto de hac est sermo institutus; cum enim hæc magis sub sensum cadat, & ex ipsa sola iudicium fieri possit destructionis virginitatis per maris conjunctionem, omni procul dubio hujus signa veniant à nobis examinanda.

7 Sed ante in dubium vertitur tam apud Iureconsultos, quam apud Medicos, an certæ quædam notæ dari possint Virginitatis, & primo videtur affirmative respondendum: nam id vulgo persuasissimum est, & multa in medium adducuntur, quibus præsentibus de virginitatis integritate ambigi non potest: præcipue autem id probare videtur infallibile, & inseparabile signum ab hymene desumptum, tenui nempe quadam membrana claustrum virginale intersepiente, & aditum genitali virili impediens; quo præsentibus, virginem esse illibatam satis superque notum est etiam iis testibus, qui de hymenis natura, & veritate dubitant, ut Riolan. *Fil. lib. 2. Anthropograph. cap. 32.* Nancel. in *Analog. Microsc. ad Macrosc. lib. 7. par. 3. probl. 5.* Quin etiam Severin. Pinæus *lib. 1. de not. Virg. cap. 5.* & dari hymenis signum docuit, & ipsum esse certissimum, & infallibile, sumpto hymene suo modo, ut patebit inferius: præterquam quod aliter constitui eam partem in Virginibus, quam in corruptis doctissime, & accuratissime demonstravit. Quam etiam sententiam comprobant maxime Auctores, & quæ ex ipsis novissime adduxit Daniel Sennertus *lib. 4. Pract. par. 2. sect. 3. cap. 1. quæst. 1.*

Præterea non temere factum in Sacris existimandum *Deuteronom. cap. 22.* ut virginitas probata censeretur per pannorum sanguinolentiam in primo concubitu deturpatorum: quia ut Oribasius ex *Soran. Collect. lib. 2.4. cap. 23.* Avic. *2.3. tract. 1. cap. 1.* Fernel. *lib. 1. Pæthol. cap. 7.* Paræus *lib. 2.3. cap. 2.* & alii, & inter Canonistas Torreblanca in *Epitom. de lict. lib. 2. cap. 19. num. 3.* & 4. firmarunt, Virginitas violatur per destructionem, & lacerationem venarum, & ligamentorum valde debilius in collo matricis, ex qua dilaniatione sanguinem effundi omnino necesse est; unde quia hoc certum erat signum illibatae Virginitatis, idcirco, non apparente tali signo, lex lapidari volebat eas, in quibus non apparebat, quia tanquam corruptæ sanguinem in primo concubitu non effundebant, quasi is non esset primus concubitus, sed jam ex alio concubitu virginitatem amisissent. Et quanquam Recentiorum nonnulli hoc signum parvi pendunt ob rationes, de quibus infra, non desunt tamen ex Doctoribus, qui illud acceptent, ut inter Iureconsultos Farinac. in *Prax. crimin. quæst. 1.4. num. 148.* qui voluit virginis deflorationem probari, si illius camisia tempore stupri fuerit reperta sanguine resperâ, vel linteamina, in quibus cum stupratore cubuit, sanguinolenta.

Videtur insuper his duobus certissimis, atque urgentissimis signis alias plerasque notas, & conjecturas addi posse ex relatione matronarum, & Medicorum, quibus simul concurrentibus, absque ulla hæsitantia firmari potest, dari certas notas, ac certa signa virginitatis, unde quoque & certas notas, & certa signa ejusdem violationis dari, consequens omnino est.

Verumenimvero his non obstantibus prima conclusio hæc sit: Virginitatis nullæ dantur certæ & inseparabiles notæ, accepta Virginitate prout est quædam muliebrium vasorum integritas ex con-

junctioe viri non maculata. Acceptissima est hæc conclusio Recentioribus omnibus, præcipue autem Iouberio *lib. 5. Error. popul. cap. 4.* Paræo in *lib. de Remoniis. Augenio Epistol. lib. 1. Tom. 2.* Fortun. *Fidel. lib. 3. de Relat. Med. cap. 1.* Codronchio in *met. testif. cap. 11.* Nancelio in *Analog. lib. 7. par. 3. problem. 5.* Vimo in *mer. mulieb. cap. 6.* Valles. *de sac. Philosoph. cap. 25.* Vincentio Allario *de Quæst. per Epist. cent. 4.* & quamplurimis aliis doctissimis Medicis, quos data opera prætere. Sunt & inter Iureconsultos, quos adducam ad ejus conclusionis tutelam, nimirum Cujac. *lib. 17. Observat. cap. 20.* quem refert ex nostris Riol. *Fil. lib. 2. Anthropograph. Sanchez. de Matrim. lib. 7. disp. 113. nu. 10.* Ratio autem hujus conclusionis est, quia ea potissimum signa, quibus maxime in ejus rei attestacione fidentum esset, vel fallacia sunt, & nihil certi promittunt, vel realiter nulla sunt: nam quod de hymene jactatur, omnes pæne Anatomici Recentiores in re Anatomica oculatissimi unanimes assentiuntur, ac conveniunt, eam membranam non reperiri in omnibus, sed in paucis, de communi autem hac opinione testatur Capivacc. in *tract. de sign. Virginit. unde nonnulli ob id non solum volunt illam naturaliter in pluribus non dari, sed in iis, in quibus reperitur, esse quid omnino præternaturam, & morbosum, ut Vallæus in sua Anatomia tab. 1. Paræus, Augenius, Vlmus, Laurentius, & alii locis citatis, & inter Canonistas Torreblanca *lib. 2. de delict. in quibus, &c. cap. 19. num. 9.* quod si qui sunt adeo veterum sanctorum addidit, ut hymen dari naturaliter contendat, illud saltem absque dubio negare non poterunt, esse quid rarum, & non de facile reperibile, si fidem clarissimis Anatomicis Vesalio, Fallopio, Laurentio, Colombo, & aliis multis adimere nolint; nam vix in una aut altera puella observatum est à Colombo, à Fallopio non in pluribus, quam in tribus inter mille ab ipso dissecta virgularum cadavera, à Laurentio vero in nulla, ut ipse testatur; immo Mercatus *lib. 1. de Part. par. 4. class. 1. quæst. 97. art. 3. num. 6.* à nullo Anatomico viliam firmat.*

Secunda conclusio sit, Virginem esse corruptam per viri conjunctionem per quantumque signa corruptionem attestantia, firmari non potest. Hæc conclusio manifesta est ex jam dictis, & Medicis omnibus acceptissima. Fortun. *Fidel. lib. 3. Relat. Med. cap. 1.* Claudinus in *Respon. Med. num. 40.* & inter Iureconsultos Cujac. *obs. lib. 17. cap. 27.* quia neque per hymenis disruptionem, etiam si adesse in omnibus concedatur, neque per viarum latitudinem, neque per carentiam effusionis sanguinis in concubitu, neque etiam si adesset signa prægnantia, etiam ipsa lactis collectio in mammillis, virginem esse defloratam certo firmari potest, ut optime ostendit Mercat. *lib. 1. de Part. par. 4. class. 4. quæst. 124. num. 3.* Quia quoad hymenis membranam jam diximus, saltem in pluribus non adesse naturaliter: viarum vero latitudinem naturaliter, & accidentaliter absque concubitu existere posse palam est; immo Medici ad eam latitudinem, cum morbosa est, aut demere potest coitus vóluptatem, non pauca remedia præscribunt, ut notat ex Canonistis Torreblanca *ubi supra. nu. 12.* quoad sanguinis effusionem in defloracione patet, quod ea minime potest apparere, si via fuerit vel naturaliter, vel accidentaliter maxime patentes, præcipue si congressor non valde mentulatus existat, aut sponsa anno-

for sit, Mercurial. *lib. 6. var. lect. cap. 23.* Fortun. *Fidel. ubi citat.* & ex Canonistis Torreblanca *ibid. num. 12.* & ad id quod objicit ex Sacro textu, respondet Augenius, Moslem ibi noluisse, quod in omni casu panni sanguinolenti facerent testimonium Virginitatis, sed in eo tantum, de quo ibi, nimirum quando vir falso accusaret uxorem imponens ei nomen pessimum, quod non reperisset eam Virginem, tunc enim pannos illos sanguinolentos attestari voluit lex, eam virginem fuisse, unde vir falsitatis arguebatur: non quod universaliter, & generaliter panni illi sanguinolenti facerent, aut facere deberent in omnibus testimonium Virginitatis; itaque, inquam ego, quotiescunque sanguis in primo concubitu effunditur, faciet testimonium Virginitatis, non tamen effundi semper in omnibus necesse est, unde ibi arguebatur vir falsitatis, quia aderat signum manifestissimum innocentia mulieris. licet autem concedatur, omnia esse incerta, aliis omnibus minus incertum hoc erit, & ut tale à more receptum, ut dicit Mercurial. *ubi supra.* Advertendum tamen ad id, quod addit sacra Scriptura, ex quo redargui posse videtur hæc Augenii responsio; additur enim in textu, Quod si verum est, quod objicit, & non est in puella inventa Virginitas (at quomodo id cognosci poterat? nempe quia sanguinem in concubitu cum suo viro non effudisset, unde neque suam virginitatem per pannos sanguinolentos potest attestari) tunc ejicient eam extra fores domus patris sui, & lapidabunt eam. Ad hanc instantiam in Augenii sententia nihil, quod satisfaciatur adduci potest, quamobrem placeret Nicolai de Lira in hunc locum expolitio, qui primo confutat hanc opinionem de consuetudine servandi pannos sanguinolentos duplici ratione; prima ob turpitudinem, valde enim turpe videbatur quod talis pannus servaretur (adde tu maxime ad longum tempus) & expanderet coram iudicibus, secunda ob inverisimilitudinem, quia si is mos vigeat, non erat verisimile (quod etiam inculcat Paulutius hic) quod vir fecissit eos pannos aservari apud parentes uxoris, certus suæ ipsius condemnationis, eam accusaret, his stantibus ex sententia Hebræorum idcirco, huic loquendi modum esse parabolium, & adducit ad id firmandum alios modos similes loquendi, itaque diceas lex, Expandenteque vestimenta, &c. tantumdem est, ac si diceret, producent testimonia ad probandam filia virginitatem, explicantes ea, veluti expandunt vestimenta, innuens, inquam, quod testimonia clara essent, non dubia, & incerta.

23 Ergo his stantibus hoc signum per se dicendum esse fallacissimum, quia non modo, si non adfit, non potest probare corruptionem, sed, etiam si adfit, non attestatur virginitatem; & de priori parte consentiunt Medici omnes, & notavit præ cæteris Marc. Donat. *lib. 4. histor. Med. Mirab. cap. 15.* neque dissentiunt Iureconsulti Abb. in *cap. Propositi de probat. Afflic. decif. 236. nu. 3.* Farinac. *de del. crim. quæst. 147. nu. 149. §. Probatio.* de posteriori autem parte patebit infra.

24 Tertia conclusio sit, Quibuscunque signis, quæ virginitatem incorruptam attestari possunt præsentibus, virginem esse incorruptam certo firmari non potest, hæc conclusio facile manifesta fiet, si certiora signa virginitatis examinabimus, nempe vasorum convenientiam, & angustiam, hymenis integritatem, & alia convenientia enim, & coherentia partium colli matricis non unico congressu oblittera-

tur; præterquam quod etiam medicamentis procurari talis potest, quæ non modo adæquet, sed etiam exuperet naturalem, ut norunt Medici, & notat ex Iureconsultis Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 113. num. 10.* quinimmo & à morbo interdum adeo angustantur illæ partes, ut nonnullæ fuerint foeminae, quæ ob eam causam à suis viris in posterum cognosci non poterint, ut testatur Severin. Pinæus *lib. 1. de not. Virg. cap. 5.*

Sanguinis quoque effusio in primo concubitu per fraudem simulari, immo etiam vere procurari potest, Fortun. *Fidel. lib. 3. Relat. cap. 1.* & modos apud ipsum vide; quibus adde, quod multis non in primo solum concubitu, sed etiam in secundo, & tertio, & ulteriori sanguis effunditur, iis nimirum, quæ angustiora vasa habent. Vidi ego quæ à coitu diu ob mariti absentiam, vel infirmitatem abstinent, cum de novo concumberet, sanguinem effunderet; & pudicissimam viduam novi secundo nubentem sanguinem effudisse, cum primum secundo viro conjungeretur: biennio autem viduitatem, & coelibem vitam servaverat, erat tamen adhuc juvenis, non major viginti annis. hic autem dolus nullus subesse potuit, itaque quemadmodum potest mulier esse incorrupta, & sanguinem in primo concubitu non effundere, sic potest alia ex parte esse corrupta, & sanguinem concubens effundere.

De integritate autem hymenis, etiam corrupta existente muliere, patet per ea, quæ alias de Imperforatis dixi, nam potest Virgo deflorari, immo etiam concipere, absque eo quod Hymen dirumpatur, ut concludunt nonnulli prædictorum auctorum. hoc autem dupliciter evenire potest, uno modo, si membrana illa adeo dura sit, ut dirumpi à congressore non possit, tunc enim si vir intra uteri collum semen effundat, & uterus illud attrahat per orificium, quod perpetuo in ea membrana reperitur certum est, & minime controversum, potest mulier concipere. Secundo modo si vir membrum habeat admodum breve, & membrana illa sit altius, interiorque posita, vel ipsa Mulier uteri collum habeat prælongum, tunc enim idem, quod in superiori casu evenire poterit, Addam duos alios modos, unum si Virga tenui existente, hymenis orificium sit ampliusculum, nam absque hymenis dilaceratione mulier corrupti potest, & concipere. Capivacc. in *tract. de sign. Vir.* Quartus modus est notatu præ cæteris dignissimus, ut qui eventu frequentior esse solet, & maxime notatur à Pinæo *cit. lib. 1. cap. 6.* quando virgines uno, aut altero die, aut etiam tertio, & quarto prægresso à menstrua purgatione viro junguntur, quia tunc non modo virum facile, & absque dolore admittunt, sed quod mirum duxeris membranae illæ, quæ Hymen constituent, non dirumpuntur, sed tantummodo ob prægressam menstruum humiditatem relaxantur, ita ut facile congregentis Peni absque earum dilaceratione cedant, & tunc etiam mulierem concipere posse nihil obstat. Vides ergo quot modis corrupti possit Virginitas, & tamen Virgo incorruptissima intuentibus apparere, si his exterioribus signis fidem habeamus. Nusquam igitur dari dixerim tutam virginitatem, nisi fortasse apud Æthiopum, & Barbarorum nonnullos, qui, ut narret Petr. Bemb. *lib. 6. histor. Venet.* quem refert Kornman, *de mir. vivor. tit. de sign. probat. virg.* & Riol. *Fil. lib. 2. Anthropograph. cap. 32.* ut virginum suarum pudicitiam nullo modo suspectam habeant, puellis, ubi primum

primum natæ fuerint, pudenda consunt, relicto libero tantum meatu ad urinam reddendam. Cum nuptui vero traduntur, ipsi Sponsi incumbit onus uteri labra dissuendi. Sic Sponsæ ipsorum vel nolentes illibatam, & incorruptam suam virginitatem Sponsis suis conservant, & ipsi Sponsi ab omni suspitione liberi existunt, cum non possint ab alijs in ea re ullo modo decipi. hoc ita narratur à Bembo, an veritatem habeat, ambigo, an habere possit, non credo, quia consuta loca ab ipsis incunabulis ita coherere necesse est, ut non nisi summa cum vi, & adhibita sectione dissili possint; unde spasmodum, inflammationem, & alia symptomata in omnibus pululare necesse est. sed de incertitudine signorum Virginitatis quia plura scire desiderat, legat Fortun. Fidel. loco sæpius citato, qui ad id plura ex pluribus recollectit.

S V M M A R I V M,

- 1 Hymen non reperitur in omnibus Virginitibus. contrarium num. seq.
- 3 Mercurii error circa hymen.
- 4 Per hymenem quid intellexerint nonnulli, & nu. 7.
- 5 Per hymenem quid intelligendum ex Fallopio, Riolan, & Pinæo.
- 6 Hymenis descriptio.
- 8 Nulla regula desumi potest ex iis, quæ per accidens, & de raro eveniunt.
- 9 Quid considerandum in carunculis in examine violationis virginis.
- 10 Nymphae quid sint.
- 11 Nymphae in virginibus tenes.
- 12 Orificium Vulvæ in Virginibus est crispum.
- 13 Pubis pili in pudendis Virginibus sunt promissi, & pluri.
- 14 Signum Virginitatis ex sinu pudoris desumptum.
- 15 Ex urinis an desumi possit ullum signum Virginitatis.
- 16 Signa ab Obstetricibus observata.
- 17 Signa Virginitatis ex voce.
- 18 Experimenta nonnulla ad probandam Virginitatem.
- 19 Partes colli in corruptis cur incrassentur.

De minus fallacibus notis, & conjecturis Virginitatis.

Q V Æ S T I O II.

Qvam difficile sit virginitatis integritatem probare, ex superioribus satis liquet; si tamen quoquo modo per aliquas notas, & conjecturas deprehendi possit, est à nobis in hac quæstione aperendum; & quia inter potiora signa recensetur integritas hymenis, de eo primum peculiariter verba faciamus: quemadmodum igitur superiori quæstione dixi, plures Medicorum de hymene dubitarunt, & illud dari saltem in omnibus apertissime negarunt; quinimmo si quando in aliquibus appareat, esse voluerunt quid præter naturam atque morbosam, aut quod naturalibus actionibus impedimento sit, & Vesalius Anatomicus illustris, cum videret in pluribus non apparere, subterfugium excogitavit fortasse in affirmativam sententiam inclinans, dixitque referente Riolan. lib. 2. Anthropograph. cap. 11. eam membranam in quibusdam locis solere obstetrices tanquam inutilem lacerare, quando di-

gitum podici, & vulvæ immittunt, ut connatas partes illas adaperiant. quicquid tamen fenseric Vesalius, contendit Fallopp. in Obser. Anatom. prope finem, contra eos, qui hymenem derident, illum reverari, quem etiam se observasse aliquando testatur Mercurius in lib. della Commare 1. cap. 2. qui tamen valde errat in ejus membranæ descriptione; vult enim per illam nymphas simul conjungi, quod adeo absurdum est, ut nihil supra, quemadmodum ex doctorum Anatomicorum scriptis facile legenti pateat potest. sed alios auctores, qui hymenem dari naturaliter voluerunt, recenset Riolan. ubi supra. & Daniel Sennert. loco in superiori quæstione citato.

Sed mirum videbitur alicui, quod in re, quam sensu ipso oculato assequi possumus, tantopere inter se dissentiant Auctores, ut alii quidem hymenem dari voluerint, alii vero nequaquam; sed mihi videtur æquivocationem ejus rei causam fuisse, & dissensus ipsorum auctorum circa essentiam, & existentiam ipsius hymenis: nam pro Hymene nonnulli intellexerunt membranam quandam durissimam uteri collo adnatam, non semper uno eodemque loco sitam, sed modo interius, modo exterius in ipsius matricis collo; hæc, ut est res toto genere præter naturam, in paucis admodum reperitur; reperitur tamen interdum, & ea de re qui hymenem dari negarunt, pro hymene hanc membranam intellexerunt, quam nequaquam requiri in virginibus certum est. unde non immerito redargui potuit Vvier. à Balduino. Ronseio Episc. Medic. nu. 49. quod in lib. de Præsig. Demon. hanc ipsam membranam pro hymene acceperit, & unam cum alia confuderit; cum Medicis errant etiam alii nonnulli, ut Torreblanca in Epit. delict. lib. 2. cap. 19. vers. 5. licet ex aliorum sententia dictum suum moderetur. Qui tamen rei veritatem diligentius perscrutati sunt, ut Riolan. & Severin. Pinæus, & ante hos Falloppius pro hymene non aliud intelligi debere docuerunt, quam connexionem nonnullarum membranarum, quæ ab illis, & præcipue à Severin. Pinæo sic describitur. Post Nymphas quæ duo membrana corporis sunt alarum modo expressa immediate post pudenda, & labra uteri sita interius versus intimum uteri osculum, quatuor carunculae apparent; quæ Myrtoides, quod myrti folia referant, appellantur, vel triangulares, quod triangulari figura dotentur, quarum singulae in singulis lateribus nimirum superno, inferno, dextro, sinistro prominent; invicemque ita per acutiorem partem sese respiciunt, ut cariophylli nondum bene explicati imaginem repræsentent, conjunguntur autem, invicemque coherent omnes per membranulas quasdam, aut per fibras colligantur, & hæc pars ita constituta verus hymen est, neque præter illam alium hymenem reperiri tradit, & apertissime docet idem Pinæus lib. 1. de not. Virginit. cap. 5. Non est ergo virginitas simplex connexio partium sine ulla membranula, ut ex Medicorum nonnullorum auctoritate vult Torreblanca loco supra citato, num. 10. Hymenem autem, quem alii describunt, dicunt esse membranam tenuissimam ultra prædictas carunculas in ductu interiore muliebri sinus positam, atque in sui medio pertusam; quam quidem, quod in aliquibus reperitur præter naturæ constitutionem, multi in omnibus reperiri voluerunt, quoniam vero nulla regula desumi debet, aut potest ex iis, quæ per accidens, & de raro eveniunt; idcirco hæc postposita, de ea, quæ realiter in omnibus reperitur, loquamur,

mur, & si quid ab ejus constitutione elici potest in incorruptæ virginitatis dignotione manifestum faciamus. Itaque consideranda sese offerunt in hac parte tria, nempe magnitudo, color, & colligantia. quoad magnitudinem enim carunculae hæc in virginibus crassiores, & quasi inflatæ apparent, in corruptis autem minores, & exiliores, flaccidioresque ob penam attritionem, quoad colorem in virginibus sunt rubicundæ, in corruptis vero colore magis remisso, & ad lividum vergente. quoad colligantiam, & unionem omni procul dubio apparent in virginibus inter se coherentes, & medio tenuissimam membranulam colligatæ, in corruptis vero disgregatæ, ac invicem distitæ, abscedunt enim invicem illæ carunculae ob illarum membranarum violationem, ac disrutionem. Itaque hæc omnia signa simul conspirantia integritæ virginitatis evidentem conjecturam præbent. nam quod singula per se testari non possunt, simul unita poterunt. quamobrem si ultra hæc ipsa, quæ jam notavimus, ea, quæ infra notanda veniunt, apparebunt, de virginitatis incorruptibilitate non inane iudicium ferre licebit.

Præter prædictas autem partes alia quoque consideranda veniunt in examine virginitatis, & primo se se offerunt nymphae, quæ, ut dixi, alatae sunt, ac veluti inter carnes, & cartilagineas excrescentias quædam, seu carnosæ quædam membranulae post labra uteri intro progrediendo situate pullos cristas non abimiles. hæc in virginibus, ut notat Riolan. ubi supra, latem usque ad annum vigesimum tenues sunt, nec admodum latae, in iis vero, quæ virum sunt expertæ, præcipue si pepererint, crassiores, & latiores evadunt: sunt etiam in virginibus magis tenæ, in corruptis laxiores, & tanto laxiores quanto frequentiori coitu usæ fuerint, vel quanto validiorem vim passæ fuerint.

12 Averroes porro lib. 1. Collig. cap. ultimo dicebat, orificium vulvæ in virgine esse crispum, in cæteris autem, quia rugæ ex coitu atteruntur, magis leve, & planum esse; sed hoc signum, & superius, quod ex nymptharum constitutione desumi dicebamus, non nisi tunc apparent, cum coitus pluries frequentatus extiterit, unde vix apparebunt, aut aliquam de se significationem præbent in ea, quæ unicum congressum sustinuerit, in cuius Virginitate, aut violatione exploranda totus labor esse debet.

Notat præterea Riolanus in virginibus, neque præterit id ipsum Pinæus lib. 1. cap. 7. quod habeant pilos pubis promissos ac planos; eæ autem quæ virum expertæ frequenter fuerint magis crispas: hoc autem, etiam si ratione non careat, levissimum signum est, & maxime difficile, ut observetur; licet enim respectu sui ipsius unaquæque fortasse habeat pilos pubis promissos cum virgo est, quam cum fuerit corrupta, tamen non desunt quæ etiam virgines existentes habeant eosdem pilos crispas; præterquam quod neque hoc signum quicquam valet in nuper corruptis, non enim pili ex unico, sed ex iterato, & multoties frequentato congressu crispantur.

Magis probatur altera conjectura ex inspectione locorum muliebrium allata à Severino Pinæo lib. 1. cap. 9. ea autem talis est. Immediate post prædictas carunculas, quæ conjunctæ hymenem constituunt, cavitas quædam succedit intro progrediendo, quæ sinus pudoris appellatur. hæc veluti fossicula quædam est, & in virginibus angustior vi-

fitur, & exucca, in corruptis multo capacior, & humidior.

Præterea Codronchius in Method. reffif. cap. 11. 15 signum aliquod integritæ virginitatis desumi voluit ex urinis, quas ex cujusdam peritissimi viri sententia dicit esse tenuiores, & clariores, quam in cæteris mulieribus, in quibus ob viarum laxitudinem, & refertationem, & ob uteri numerosiora excrementa urinæ turbidæ, & crassæ cum multo sedimento excernuntur. hæc tamen ergo nugæ meras existimaverim, & hoc signum si quod aliud fallacissimum, immo vanum, & indignum, cui fidem ullam habeamus: urinas enim examinare, ut ex iis virginitatis indicium habeamus, aquam è pumice expectare est.

Prudentius fortasse agunt, qui loca ipsa considerantes, colorem volunt esse rubicundum, ac naturalem, non ad lividum quædam, aut nigredinem declivem. ipsius quoque uteri partes nativa quadam soliditate, & resistentia dotatas esse volunt, non laxas, aut diffuentes, neque humectas, sed exuccas. cum quibus etiam universum corpus considerant: nam & ipsæ carnes in corruptis laxiores sunt, in virginibus duriusculæ, & resistentiores. colore item sunt vividior, qui, ubi violata virgo est, sensibilibiter remittitur, unde Democritus puellam tanquam virginem cum salutafer, subsequenti die illam iterum tanquam mulierem salutavit, ex mutato faciei colore illam corruptam præterita nocte fuisse comprehendens. inter cæteras vero partes mammæ, earumque capitula observanda: mammæ enim non diffuentes, & laxas, sed in se ipsas relectas, papillas autem nativo colore, seu fusco quodam rubore perfusas, non livore, aut nigredine labefactas esse dect; neque etiam circulo quodam nigriculo notatas. unde forte illud apud Ezechiel. cap. 23. vers. 3. ibi subacta sunt ubera earum, & fractæ sunt mamme pubertatis earum.

His addi potest vocis consideratio, quæ in virginibus delicatior, & suavior est, & mirum videri potest, quam cito insuavior, & crassior ex coitus usu evadat; & profecto, licet hoc signum non tanti momenti sit, ut illi solummodo sit fidendum, faceret tamen aliis adjunctum maximam præsumptionem corruptæ virginitatis, ut in seq. quæst. dicam.

Id autem, quod ad probandam virginitatem nonnullos asserere testatur Pinæus ubi alias lib. 1. 18 cap. 5. in fin. vanum est; erat autem, quod si filum ab extremo naso per mediam frontem extensum ad coronalem usque futuram ejusdem puellæ collum cingere, ac circumdare possit, virgo sit incorrupta, Roderic. à Caltr. lib. 4. Med. Polit. c. 12. ex Mercurial. aliter hoc experimentum adducit; circumdari enim tradit per anteaçtam noctem primum concubitum præcedentem, virginis collum filo, postera die eodem filo collo emensurato, & latiori invento, virginitatis amissionem arriolantur. Sic & Catull. de nupt. Pelæi & Thetid.

Non illam nutritrix orientis luce reversens Hesperio poterit collum circumdare filo. Sed de hac re vide Ranchinum de morb. virg. sect. 1. cap. 9. addunt alii, ut ejus rei causam afferant, hoc evenire quia partes colli nempe venæ, & arteriæ, ubi coitum experta sit mulier, incrassantur, signum est etiam vocem mutari, crassioresque effici: cur autem eæ partes ex coitu dilatantur, & incrassantur? An quia à capite per colli vasa semen desertur

ad uterum, in simulque plurimum sanguinis, & humorum per ipsa, & ad ipsa, ad uterumque demandatur? inditio est purgationes melius ire, ubi virum expertæ fuerint. Sed quicquid sit de harum caularum veritate, hoc virginittatis inditium adeo tenue est, ut frivolum, & nullius momenti ex mea sententia sit censendum. quamquam Mercurialis fidem illi tribuit lib. 6. Par. lect. cap. 6.

Ea occasione de Marium virginittate meminisse operæpretium videtur, cuius tamen dari aliqua signa, adeo vanum est, ut nihil supra; nam quæ de odoribus, & vocis mutatione sumuntur nihil ad rem faciunt, quod non modo odor, & vox mutationem accipiant cum virginittate mas amittit, sed cum semen ferre incipit, quando eum hircire, & catulire dicimus, ut alias dictum à me est, ex quibus cum Capivacc. in libell. de nat. Virg. concludendum, non esse, neque esse posse alia signa virginittatis in maribus, quamobrem ea perquirere superfluum est. Denique de virginittatis in foemina probatione per nonnulla medicamenta, licet eam fallacissimam existimem, tamen, ne quid eorum in hac materia prætermittam, quæ ab aliis tradita sunt, aut tradi de novo possunt, in sequenti quæstione agam.

S V M M A R I V M.

- 1 Non omnia signa corruptæ Virginittatis sunt omnibus corruptis communia.
- 2 Signa stupri de recenti in virgine patratæ, & pluries iterata.
- 3 Signa stupri recentis, vel corruptæ Virginittatis de recenti, sed unico tantum congressu.
- 4 Corrupta virginittas per viri congressum jam à multo tempore facta quomodo deprehendi possit.
- 5 Loca muliebria semel violata denuo aliquando conlescunt.
- 6 Gravida mulier potest apparere virgo.
- 7 Signa corruptæ Virginittatis per iteratas vices, sed à multo tempore jam transacta.
- 8 In examine violatiõis Virginittatis consideranda etiam, si fieri potest, natura, & genitalia stupratoris.
- 9 Quenam consideranda in ea, quæ violata presumitur.
- 10 Quenam consideranda in stupratore.
- 11 Aliud signum ex Pineo in stupro.
- 12 Sponsa cum Sponsa cubante, vel quocunque viro cum virgine, presumpcio debet esse desolationis.
- 13 Copula carnalis non potest vere probari.
- 14 Copula carnalis quomodo probatur.
- 15 Ex concubitu presumitur violatio, & contrarium asserenti incumbit onus probandi.
- 16 Virginittas corrupta denotatur ex levore papillarum in mammillis.
- 17 Experimentum ex Gagato lapide ad deprehendam Virginittatem.
- 18 Quomodo Gagatis lapis, & alia nonnulla medicamenta possunt deprehendere feminas corruptas.
- 19 Apes acriter in eos irrobentur, qui de recenti machati sunt.
- 20 Apes Venere expertes, contrarium ibid.

De signis Violatæ Virginittatis.

Q U Æ S T I O III.

EX signis integræ virginittatis, quæ supra adnotavimus, facile est devenire in cognitionem virginittatis corruptæ, per eorum enim absentiam apparet violata virginittas. sunt tamen præter dicta alia nonnulla magis, magisque corruptionem attestantia, quæ hic peculiariter enarranda, & adnotanda veniunt. sed antequam ad ulteriora progrediamur, advertendum est, non omnia signa corruptæ virginittatis esse omnibus corruptis communia, sed alia aliis magis convenire: nam vel Virgo desolata est de recenti, vel jam à multo tempore, si de recenti, vel unicuique tantum congressum est experta, & dehinc omnino viro abstiniuit, vel multoties est manumissa, sic etiam id ipsum à multo tempore jam transacto evenire potuit.

Itaque si Virgo de recenti violata sit, & plures congressus sustinuerit, ea facili negotio, vel à quavis inexperta obstricte, deprehendi poterit ex simplici locorum inspectione. nam & ipsæ uteri partes adhuc sanguinolentæ, & consueto rubicundiores, & quasi inflammatæ conspiciuntur, si recens admodum stuprum fuerit, sin minus, ut si una, aut altera hebdomada intercesserit, vel etiam tertia, ex naturali colore desituta apparebunt, & eo magis ad lividinem vergente. laxiores etiam vias, & humidiores notabit, quin etiam ad tactum dolorosas experietur.

Si quid autem ab ipsamet confuprata muliere veritatis elici possit, eas partes referet calore quodam, ac veluti leviusculo incendio sibi molestas esse, quod etiam incessus ipse partim attestari poterit, si in hoc minus cauta mulier fuerit. vix enim consueto modo incedere poterit, nam distractis, ac veluti disjunctis inter se cruribus ambulare cogetur, præcipue si ætate tenerior fuerit, & stuprator valida virulus, aut bene mentulatus existiterit.

Quod si mulier unico congressu violata de recenti fuerit, certum est majorem difficultatem assurturam in ejus rei cognitione; aderunt tamen pene omnes eadem notæ, nonnullæ quidem leviores, ut eæ, quæ laxitudinem viarum, & immutatum locorum colorem respiciunt, evidetiores aliæ, quo dolorificum sensum partis commonstrant, quia quanto frequentiori coitu usâ fuerit mulier, absque dubio tanto laxiores viæ efficiuntur, & tanto minus in futurum illum moleste ferre solet, immo molestia omnis ex coitus reiteratione cessat, quæ cum major sit in primo concubitu, sensum delitescens, in voluptatem commutat.

Multo magis operosum fuerit cognoscere corruptam virginittatem unico congressu patratam, sed à multo tempore citrà, & ea de re in hoc casu præsumptionibus, & conjecturis magis utendum esse. quia signa per partium inspectionem habita leviuscula sunt, & vix quicquam de veritate attestari poterunt, licet enim in primo congressu facta fuerit violatio, & destructio panniculorum, & caruncularum simul coherentium, & ipsorummet laterum Vteri, tamen, si dehinc à coitu abstiniuit mulier, adeo invicem temporis spatium denuo coherescunt, ipso quoque sanguine, qui in primo concubitu emanavit, mediante, ut majorem interdum angustiam præferant, quam ante amissam virginittatem face-

Quæstio III.

De Virginittate, & Stupro.

facient, quod adnotabat etiam Severin. Pinæus de nos. Virg. lib. 1. cap. 6. ita ut hinc deducatur ille, posse etiam in muliere, quæ gravida sit, conspicuas Virginittatis notas apparere. quod etiam ut verum fatearis, ad parturientes mulieres temetipsum convertas, in quibus uterum tantopere adaperiri, atque hiare necessum est, ut mirum sit, quoniam pacto dehinc, non longo temporis intervallo, tam facile partes reuniantur, ac denuo coherant, ad pristinumque statum tam prompte remeant; quod, cum ita sit, nullas notas, nullaque conjecturalia saltem signa, quæ Medica inquisitione haberi possit, invenio, quorum medio ad dignotionem corruptæ virginittatis in hoc casu devenire liceat, nisi ipsorum panniculorum integritatem & coherentiam adducamus, quæ tamen & potest adhuc servari in corrupta, & abesse in ea, quæ corrupta non sit, multis alius ex causis. Quæ difficultas licet non nihil remitti possit, ubi mulier jam à multo tempore violata quidem fuerit, sed multoties viri congressum sit experta, non tamen omni ex parte cessare videtur: quamquam potest in hoc casu Vterus non adeo rugosus notari, ut par esset in incorrupta Virgine apparere, sic etiam loca magis liventia, & nativo rubore destituta, & fortasse etiam magis laxa, & diffusentia, quin etiam carunculae illæ quatuor, de quibus alias mentio habita est, invicem distractæ, & multum disjunctæ considerari poterunt: in hoc enim signo magis fidendum, quam in alio quovis existimo; quantum patitur ipsius quoque incertitudo; nihil enim certi promittit per se solum adnotatum.

Quoniam ergo tam difficile est in superiori casu in veritatis cognitionem devenire, non est temere iudicium, & absque multa consideratione ferendum; sed maxime nonnulla adverti debent, ex quorum consideratione facile sit nonnullas conjecturas elicere, quæ viam veritatis nobis commonstrent: non modo ergo animadvertere oportere persuaserim ipsam mulierem, quæ stuprum passa præsumitur, sed si id fieri potest, ipsam etiam stupratorem vel qui stuprator præsumitur, si in lustratæ manibus detineatur, vel si contingeret, ut allegaretur viri impotentia, ex qua matrimonium minime consummatum fuisse probare quis vellet, contra autem viri matrimonium consummatum diceret, & sponsam desolatam, tunc enim etiam virilia sponsi essent observanda. In muliere autem consideranda est ætas, utrum tenella sit, vel provectior, si sit minor quartodecimo anno, vel major vigesimo; quippe cum stuprum, & violentia magis conspicua apparere debeat in puella ætatis tenerioris, quam provectioris. Habitu quoque mulieris præ oculis habenda, si pinguis sit, aut gracilis, cum quibus etiam ipsa genitalia conspicienda, an patentia, & laxa sua natura sint, vel contra exilia, & angusta, cum major in uno, quam in alio casu conjectura, & præsumptio corruptionis haberi possit, quæ etiam major, ac certior desumi poterit, si inspicere liceat ipsum stupratorem, nam permittente honestate talia machinari, ejus genitalia membra spectanda, eorumque longitudo, crassities, & magnitudo animadvertenda, faciendaque comparatio inter utriusque genitalia, ut certior conjectura habeatur violatæ, vel integræ Virginittatis: si enim, exempli gratia, virgo tenella esset ætatis, nimirum infra decimum quartum annum, habitudine gracilis, & genitalibus angustis, & exilibus, contraria au-

tem omnia elucescerent in eo, qui stuprator præsumitur, tunc non apparente evidenti corruptione, & signis manifestissimis de violata virginittate, Virgo integra est judicanda, etiam si leviora signa, & conjecturæ in contrarium urgerent, necesse enim omnino fuisset in hoc casu, Virginem magnam vim passam fuisse, cum in primo congressu in similibus casibus tantam interdum vim Virgines patiantur (quæ nimirum uterum angustum habent, aut tenerioris ætatis sunt, existente è contra congressore viro maturo, & bene mentulato) ut ex ea violatiõne vulnus in utero ad aliquod tempus relinquantur, ad cujus curationem nonnulla præscribunt Avenc. lib. 2. Theor. tract. 6. c. 8. & Allaharavius prælicæ tract. 25. cap. 24. Præter hæc autem notat Severin, Pinæus in hujusmodi casu, nempe ubi stuprator crasso membro dotatus sit, & virgo tenerior, aut uteri osculo angustiore, quod si facta magna vi penetraverit ad fundum sinus pudoris, hymene violato, membranæ illæ, quas diximus inter quatuor illas carunculas esse positas, omnino obliterantur, ac si deletæ essent. contra autem, ubi mentula minor, aut saltem mediocris est, non omnes obliterantur, sed servantur collaterales, præcipue ad primum usque partum. Relinquo autem data opera conjecturas, quibus ad facti dignotionem utuntur Iureconsulti, ut est, quæ ex consuetudine, ex commestationibus, ex familiaritate magna, ex commoratione solius cum sola, & ex similibus desumitur: nam his concurrentibus leviora signa corruptionis fortasse sufficiunt. & ea de causa recte existimandum est, quod ubi sponsus cum sponsa una cubaverit, præsumptio in dubio debeat esse desolationis, putandumque, quantum ego assequi possim, onus probandi contrarium debere esse penes negantem, cum paria sint quem jacuisse cum aliqua, & illam adulterasse. Vinc. Carrar. de Medic. & ejus off. par. 2. num. 210. faciunt ad hanc opinionem, quem etiam communem dixerim, fulciendam Terentii carmina in Heeyra alt. 1. sen. 2. quæ sic habent: Quid ais? cum virgine una adolescens cubaverit Plus potui, sese illa ut abstineri potuerit? Non verisimile dicit, nec verum arbitror.

Cui Terentii dicto non dissimile est illud Ovidii in Epistola Oenonis ad Paridem:

A juvene, & cupido creditur reddita virgo?

Recte ergo à Iureconsultis dictum est, quod, cum copula carnalis non possit vere probari, sed tantum per conjecturas, & præsumptiones. Malvas. conf. 59. num. 20. vol. 1. Fontanella de pactis nupt. Clausula 5. gloss. par. 2. n. 18. tom. 2. illa probatur ex visu, ex risu, ex colloquio, ex loco constituto, ex admissione in domum de nocte. Burf. conf. 69. nu. 10. lib. 1. sed his omnibus, cum longe major ea sit, quæ ex concubitu in uno eodemque lecto desumitur, immo hæc, quod ad actum proximum pertineat, non conjectura fortasse, neque præsumptio, sed plena probatio copulæ esse possit, patet, quod neganti debeat incumbere onus probandi. sed quia hæc ad Medicum minus spectant, & à me non ut decet fortasse explanantur, ea ad Iureconsultos remitto, & ad ea, quæ Medicorum magis propria sunt jam redeo. Montanus lib. de uter. aff. ex quo Roderic. Castr. lib. 1. de morb. mul. cap. 14. tom. 2. voluit, virginem esse corruptam, si patiat fluxum humiditatum alterum ab utero, quod redarguitur ab ipso Roderico, neque immerito: nam testis ego sum, virginem nobilem, & illibatæ pudicitia hæc fluxum

fluxum per annos passam. Verumtamen est frequentius videre in corruptis, & adultis, fortè ob maiorem viarum laxitatem. septennem quoque puellam novi biliosam, nec calido & sicco temperamento, hunc fluxum per vices quasdam pati, & alias eundem morbum passas viderunt multi, ut apud ipsum Rodericum videri potest. non tamen aspernanda esset hæc conjectura corruptæ virginittatis, si aliis adungeretur.

16 Dixi etiam alias superius, corruptam virginittatem denotari ex colore livente in mammarum papillis adnotato, hoc enim signum maxime obfervant obstetrices, neque quid absurdum continet; denotat quoque idiplum vox immutata, cui signo multum tribuere videntur nonnulli, & ego quidem, si alia adfint conjecturæ, non aspernandum, nec ceteris postponendum hoc duco.

Denique ad probandum, an Virgo corrupta sit nec ne, plura à pluribus recensentur experimenta, quæ ego quoque recensito, non quod illis ullam fidem habeam, sed ne mancus in hac re videar fuisse. celeberrimum inter cætera experimenta est, quod ex Gagatæ lapide desumitur: hunc enim in aqua triduo maceratum, ac bibitum, corruptam virginem esse attestari ajunt, si urinam reddere illico coacta fuerit, sin minus Virginittatis florem illibatam conservare, de hoc Plin. lib. 36. cap. 19. Emil. Macer, lib. 5. de mat. Med. cap. 18. dicens:

Et solet, ut perhibent deprehendere virginittatem.

Sed Plinius iussu id ipsum effici narrat. si quicquam hoc veritatis habeat, utroque modo in usum convocatus effectum suum proderit. Proponunt alii Lappathi flores, ex quibus suffumigata Virgo, si corrupta sit, statim pallefcit. eodem quoque pacto, si mulieri ex Melanthio suffumigia hant, ajunt, ex templo cogi urinam redire, si corrupta sit. Proponitur etiam Xyloaloes, & Electrum eodem modo in usum convocata, & alia nonnulla, quæ quidem si quam veritatem habere credam, & causam naturalem non illico à Virginittatis corruptione

18 id agere putaverim, neque in omnibus indifferenter veritatem patefacere, sed in iis tantummodo, quæ frequentj coitu virum longiusculo temporis spatio sunt expertæ: in hujusmodi enim feminis viæ magis patentes relaxantur, unde facile ex prædictis medicamentis urinam validè cientibus ipsa urina provocari nolentibus potest; quod difficulter, aut nullo modo in Virginibus succedit ob contrariam causam, viarum nempe angustiam, cum & integræ membranæ, & coherentia quoque ipsius uteri prohibere facile possint, ne suffumigata medicamenta ad interiora penetrent; tamen cum Fortunato fidelij loco citato omnia hæc experimenta maxime vana crediderim.

Non relinquam autem, neque sicco, ut ajunt, pede pertransibo id, quod de apibus à Plutarcho in lib. de caus. nat. problem. 36. & in præcept. conubial. n. 46. relatum est, ex quo etiam refertur à Pierio Valerian. Hieroglyph. lib. 26. illud est, eas acriter, ac promptissime in eos invehi, illosque aculeis suis petere, qui recenter meechari fuerint, sed in mulieres, inquit Pierius, quæ veneri operam dederint, acris, ac promptius invchuntur, & si quam ejus rei causam rimari liceat, nullam aliam me hercle afferri posse crediderim, quam quæ ex Virgilio carminibus 4. Georgic. ab iplo Pierio allatis elici potest. ea

20 est, quod apes Veneris sint expertes, & idcirco, eodem Pierio teste, virginittatem incorruptam per

apem denotari dicit; Virgillij autem carmina ea sunt.

*Illum adeo placuisse apibus mirabile morem,
Quod nec concubitu induci genit, nec corpora seges
In Venerem s'ruunt, aut ferus nixibus edum:
Verum ipse solus natos, & suavis herbus
Ore legum, &c.*

Hanc apum naturam, ne poetice effectam suspiceris, admittit Arist. 3. de generat. anim. cap. 10. quam obrem mirum esse non debet, quod Scriptores de re Rustica, ut Pallad. lib. 1. titul. 37. Apum custodem purum, ac castum requirant, ad hanc enim apum naturam respexerunt, quam tamen in dimbo renovat Columell. de re rust. lib. 9. cap. 2. immo Fortunius Licetus vir summa doctrina præditus in lib. de sperm. vivem. ori. lib. 4. cap. 57. Apes coire contendit, & ex coitu generari, eo quod etiam sexu sint distinctæ; licet contrarium sentire videatur D. August. de civit. Dei, lib. 15. cap. 27. sed utrum Liceti opinio veritatem habeat, alii viderint, habeat tamen ille firmissimas quas adducit rationes pro sua opinione, quas, si libet, apud ipsum vide.

Ratio autem ex Virg. allata, cur apes aculeis suis eos insectentur, quidè recentj concubuerint, moralis est; naturalis alia esse potest, nempe quod ex corporibus eorum, qui de recenti concubuerunt, malus quidam exhalat atque hircosus odor, ut supra citatus Aristoteles testatur, lib. 4. probl. 25. ejus rei causam querens. Fit ergo, ut ex malo illo odore apes vel allectæ, vel irritatæ in concubentem impetum faciant, & hoc promptius in feminas, quam in viros, quia insignior & major exhalat malus odor ex femineo corpore, quam ex virili, ob uteri ipsius qualitatem; is enim semper excrementis superabundans & humoribus superfluis, facillime, ex coitu mirum in modum exallescens, malum ex se odorem emittit, qui etiam magis aut allicit, aut irrat ipsas apes, ad eas offendendas, & aculeo impetendas.

Cæterum quia facile est per medicamenta vulgarissima adeo genitalia feminea restringi posse, ut corruptissimum, & subagitatissimum scortum Virginem præferat, id qua ratione deprehendi possit titulo de morborum simulatione patefit.

S V M M A R I V M.

- 1 Virgines non ante nuptiis aptæ sunt, quam generare possint.
- 2 Feminarum semen requiritur ad generationem.
- 3 Cur femine abque voluptate interdum concipiant.
- 4 Mulier ante semen ferre solet, quam menstrua.
- 5 Tam semen, quam menstrua ad generationem destinantur.
- 6 Menstrua non sunt materia nutritionis fetus, (nata.)
- 7 Menstrua quo tempore patiantur mulier.
- 8 Virgo cum menstrua experta est, nubere potest.
- 9 Virgo nubere potest ante Menstruorum apparitionem, si ad simplicem coitus potentiam respiciamus.
- 10 Puella, quæ non purgabatur, generavit.
- 11 Puella non ante 18 annum nubere debet.
- 12 Puellas non ante 18 annum nubere expedit Reip.

De tempore nubendi in Virginibus.

Q U Æ S T I O I V.

DE hac materia nonnulla dixi lib. 1. tit. 1. quæst. 6. à n. 38. ad seq. unde pauca admodum dicenda restant; brevibus ergo in hac quæstione

agam; notum autem est, & ab omni dubio remotum, virgines non ante nupti aptas esse, quam generare possint; generare vero non posse, antequam semen ferant, cum etiam femineum semen ad conceptionem ex Naturæ necessitate requiratur, quicquid ipsæ interdum dicant, & quicquid earum assertionibus nonnulli docti sibi persuaserint, ut latius dixi superiori libro tit. 1. quæst. 7. à n. 11. ad plures seqq. & licet puellis de recenti nuptis maxime familiare sit, ut aliquando concipiant, antequam semen se effundere dixerint, tamen, ut loco citato dixi, illud evenit, quia à majori delectatione ex Viri congressu, & receptione seminis ipsius in proprii seminis emissionem omnis delectatio pane obruitur, & aboletur; ad quod maxime facit feminis semini tenuitas; nam quemadmodum in ipsis Maribus, ubi primum semen ferre incipiunt, illud renuis, & fluidius est, minusque crassum, ac concoctum, quam procedente tempore, & ætate fit, sic etiam in puellis evenit, quæ cum ex naturæ quoque præscripto tenuis semini habeant, multo magis etiam tenuerunt in sui generationis principio:

3 quapropter mirum non est, si modicum, aut nullum suæ excretionis sensum faciat, cum excretur, distractis præsertim juvenculis à majori voluptate, cui antea non assueverant. sed profecto non ante

4 Mulier semen ferre potest, quam menstrua patiantur, hæc enim ambo uno, eodemque tempore evenire solent, quia tam semen, quam menstrua ad generationem destinavit Natura, neque altero eorum deficiente succedere potest conceptio: non quod ipsa

6 menstrua sint proxima materia nutritionis ipsius fetus, ut semen ipsius fetus & principium, & materia est, sed quia cum menstrua fluunt, indicium præbent mulierem tam multo sanguine abundare, ut & proprio corpori alendo, & ferui nutriendo sufficiat; ad id enim Natura mulierem voluit multo sanguine abundare, uberiorque eo esse, quam virum, licet sanguis in muliere ob eam multitudinem crudiufculus existat, qui tempore, quo mulier in utero non habet ob sui multitudinem singulis mensibus expurgatur, cum in utero habet, retinetur, & ob necessitatem nutriendi fetus magis concoquitur, ut ejus laudabilior portio in ejus alimentum faceffat, sed de materia nutritionis fetus in proprio libello ad id ipsum dicato plura dixi. nunc ad rem nostram sciendum, mulierem menstrua pati, ut communis fert opinio, anno duodecimo, quam tamen opinionem non esse universaliter, immo neque in pluribus veram probavi, quia ex multis paucæ tam cito purgari incipiunt, plures vero sunt, quæ vix decimoquarto purgantur, ut latius ibi dixi. cum ergo queritur de tempore nubendi in Virginibus, vel intelligimus de tempore, quo aptæ sunt ad copulam, & utinque ad generationem, vel intelligimus de tempore, quo expedit eas nubere respectu habito ad faciliorem, & perfectiorem generationem inde proventuram, quod tunc non modo abique periculo concipiant, sed fetus quoque validiores, & undequaque perfectos procreare soleant. si in priori sensu intelligatur quælitum, jam id decifum habemus, quod ubi menstruant mulieres nubere possint, immo, ut hoc ingenue fatear, si de simplici potentia ad concubitum quæstio sit, etiam antequam menstrua patiantur nubere eas posse crediderim; & ratio est, quia persuasum habeo, mulierem ante semen intra se generare, quam menstrua patiantur, saltem per aliquod tempus

non diturnum, & idcirco nonnullæ puellæ quæ ad huc per ætatem non purgabatur, tamen generare visæ sunt, quod quidem absq; femine fieri non potuit, absque menstruorum apparentia potuit, natura ipsam matris sanguinem quanquam non admodum superfluentem in fetus alimentum destinante. Si vero in posteriori sensu quæstionem accipiamus secundum vetustiorum opiniones, quas retuli lib. 1. quæst. 6. n. 39. & seq. non ante 18 annum nubere

11 Virgo debet, quod etiam notarunt recentiores Io. Marinell. lib. 1. de medicin. mul. cap. 3. hoc enim tempore menstrua facilius, & in majori quantitate fluunt, & calor magis vegetus est, unde etiam semen magis concoctum, magisque proli gignendæ aptum generatur; quietiam & laboribus ferendi uteri, & pariendi, & liberos nutriendi facilius suscipiunt; viæ etiam in ipsis laxiores, & patentes factæ faciliorem exitum fetus præbent, unde & ipse matres, & ipsi fetus minus periclitantur, cum partus inflat, contra quam fiat in tenerioribus juvenculis, quæ ob contrarias omnino causas aut non concipiunt, aut fetus maxime imbecillos procreant, qui in nascendo cum ipsis matribus facili negotio periculo subjiciuntur, & si forte fortuna superstites remaneant, vitam valetudinariam perpetuo degunt. expedit itaque Reipublicæ, ut Virgines non ante 18 annum, saltem ut plurimum nubant.

S V M M A R I V M.

- 1 Stuprum etiam in masculos committitur.
- 2 Signa stuprati pueri in duplici differentia.
- 3 Stuprum in puerum de recenti patratum unde cognoscitur.
- 4 Stuprum in marcem ubi frequentatum sit, quæ signa habere solent.
- 5 Signa stuprum de notantia possunt etiam ex aliis causis apparere.
- 6 Curunculo in Ano, & rugarum plantis vix ab alia causa, quam à stupro esse possunt.

Constuprati Pueri signa.

Q U Æ S T I O V.

STuprum non modo in puellas, & Virgines, & Viduas committitur. Alciat. & alij apud Carrar. de Med. par. 2. n. 200. sed à scelestissimis hominum 1 Natura abutentibus etiam in masculos patrat. Farinac. de delict. carnis, q. 143. n. 1. quod delictum gravissimum quidem inter omnia cum sit, jure merito condignas penas exposcit, & in illud à ll. summo cum rigore animadvertitur, ut per l. Cum vir. C. de Adulter. Clar. lib. 5. sen. §. Sodomia. n. 1. Bos. in præf. crimin. tit. de stupr. detest. in masc. n. 1. In ejus autem delicti examine, ut de veritate Indices certiores fiant; per Medicos, & Chirugos ipsos pueros conspiciendos curant, ut notat Guazzin. ad def. Reor. def. 4. cap. 7. n. 12. qui, si quæ signa sint, quæ pueros stuprum passos esse attestentur, ea ad ipsos Indices deferant.

Quemadmodum ergo de signis stupræ Virginis dictum est, ea in duplici differentia esse, quia nonnulla stuprum significant de recenti commissum, quædam vero à multo tempore, & rursus quæ stuprum unica vice patratum, aut de raro, quædam quæ frequentatum ostendunt, eodem quoque pacto

de huius stupri signis distinguendum est. nam stuprum in puero, quod de recenti patratum fuerit, ut ante mensem, præcipue si frequentatum sit, indicare manifeste possunt, Ani scissuræ Rhagadiæ dictæ, quæ facile ob illatam vim apparent, præcipue si puer tenerioris ætatis sit, & stuprator crassa mentula dotatus. nam etiam consideratio magnitudinis, & parvitas membri stupratoris inquiri debet in hoc casu haberi, ut notat Guazz. loco supra cit. num. 13. de necessitate autem videtur, quod non modo scissuræ adsint ubi hæc concurrant, sed manifestissima etiam fractura, ubi autem puer grandior sit, aut stuprator non adeo crassa mentula dotetur, interdum ea pars excoriata apparebit, ob eandem ipsam causam, violentiæ nimirum, ob quam etiam aliis inflammatione molestat, cujus vice, vel ea ipsa permanente pruritus quidam indefinenter infestat. sed inflammatio facilius in principio apparet, dehinc ea mitigata pruritus sequitur, & color ipsius partis in lividum mutatur, commutato sanguine, qui eo concursum, ob violentiam, & motum, & calorem habuit, in lividum colorem, etsi stuprum fuerit valde frequentatum apparet etiam in ipso Podice laxitas quædam, & partis dilatatio, quæ etiam multo post tempore perdurare potest, & indicare insimul stuprum frequentatum, etiam à multo tempore commissum, quod multo magis significant quædam carunculæ, seu carneæ excrescentiæ, quas vulgo cristas vocant, quæ maxime ex frequenti Sodomia originem habent, teste Amato Lubit. *Cura Medicin. com. 2. curat. 87.* Has excrescentias, seu cristas Luvenel. mariscas vocavit Sat. 2. inquit: — Sed podice levi

Cedunt tumide, Medico videtur, mariscæ.

Licet profecto mariscæ apud quamplures Medicos pro ipsis hæmorrhoidibus accipiantur, cum tumide sunt & adaperiuntur, vel ulcerantur, ita ut imitentur ficum quandam, quæ præ pinguedine aperitur, & semen ostendit, quæ ficus marisca & lycomorius dicitur. Multo magis frequentem tam nefandi coitus usum significare poterit ipsius Podicis

constitutio, qui cum ex Natura rugosus existat, ex huiusmodi congressu levis, ac planus efficitur, obliterantur enim rugæ illæ in Ani circulo exsistentibus ob assiduam membri attritionem; laxitas quoque ipsius Podicis quo magis stuprum frequentatur, major indies evadit, maxime quia coguntur cinædi infamissimi, ut dolorem in eo actu, præcipue in principio, effugiant, & ut facilius patiantur, medicamentis uti relaxantibus & mollientibus.

Adnotandum tamen est, quod plura commemoratorum signorum possunt ex aliis causis, quam ex contumpratione originem trahere; itaque maxima cautela utendum, ut dignoscamus quando ex stupro, quando autem ex aliis causis enata fuerint, quemadmodum notat Guazzin. *ubi alias, num. 13.* Scissuræ enim, exempli gratia, possunt ab humore acri, & erodente dependere, aut etiam ex focum duritiæ, cum quibus etiam inflammatio, & pruritus adesse facile potest, si tamen ab humore acri, atque mordaci scissuræ dependant, id facile apparebit per aliqua signa huiusmodi humorum abundantiam attestantia, & per resudationem interdum humoris ichorosi, flavi, citrini, aut viridis ex ipsis ulculculis, & scissuris. Sic etsi fuerint ex nimia focum duritiæ excitatæ, prompte id constare poterit ex ipsarum focum consideratione; præterquam quod ubi altera ex iis causis simplex fuerit, non est necesse adesse livores, aut inconsumetum ruborem in Ano; neque enim tantam vim pati potest puer ex focum duritiæ, quantum ex stupri violentia pati cogitur.

Alterâ autem causa, nempe fluxus humorum erodentium, vix habet locum in pueris, neque solet is morbus esse ipsis admodum familiaris, quod benignioris nature humores fortiantur. Præterea carunculæ, & rugarum attritio, atque planities vix ab alia causa esse possunt, quam à stupro, itaque consideratis quidem singulis per se causis, & signis, magna cautela adhibita, non neglectis etiam conjecturis, & præsumptionibus, etiam quæ extra artem haberi possunt, Medici de hac re facile veritatem pronuntiare poterunt.

Libri Quarti Finis.

PAVLI ZACCHIAE

Medici Romani

QVÆSTIONES
MEDICO-LEGALES.

Liber Quintus,

CONTINENS

TITVLOS QVATVOR,

quorum

Primus de Ieiunio, & Quadragesima.

Secundus de Vulneribus.

Tertius de Membris, eorumque mutilatione.

Quartus de Aere, Aquis, & Locis.